



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Carolus Archidux n. 4

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

rimus, libenter impendemus: nec Officio nostro pro viribus vniquam deerimus, dabimusque operam sedulo, ut eadem Societas celsitudinis vestrae tam amicae & fida commendatione, quandocumque sese obtulerit occasio, perfruatur. Hæc Albertus, qui nec magnificentius promisit patrocinium suum, quam præstitit. Ut enim Collegiorum pleraque taceamus, de Ruremundano certè susceptâ singulari curâ, ad Hermanum Comitem Bergensem Geldriae Prouinciæ Præfectum ita scripsit aliquando. Negotium, inquit, illud mihi admodum cordi est, ob fructum eximium, qui inde diuina opitulante gratia exspectatur, sigilatim ob bonam iuuentutis institutionem hocce tempore tot hæresibus deprauato: quem fructum non solum Ruremundana mea, sed & omnes aliæ ciuitates vicinæ, & in primis Venlona, utpote proxima, maximeque populosa participabit. Hucusque tantus Princeps. Ibid. fol. 888.

Eximij
fructus ex
eius Colle-
gij.

Archid.
Caroli be-
nignitas in
socijs exci-
piendis.

4. A CAROLO Archiduce Austriaco: in Styria Collegium, quod ille diu exoptabat, Græcij constitutum, duodecim initio incoluere: Princeps postmodum quam aduenerant ad se socios aduocat, porrectaque gentis more dextera, atque omni benignitatis genere excipiens, ac lætitia gestiens, initium in hæc verba loquendi fecit. Potestis, inquit, mihi merito credere, me desiderio desiderasse hunc aduentum vestrum. Postque multa, quibus de ea re sibi ipsi gratulatus est, addidit: Principio quidem non deerunt vobis difficultates, siquidem eritis veluti oues inter lupos: sed persuadeatis vobis, me fore vobis patronum, & Patrem, & omnia. Ingentis animi amor, & beneuolentia hæc est. Ita Par. 4. Hist. Soc. lib. 1. n. 73.

Societati
benefacere,
est de Rep.
benemereri.

Eius Colle-
gia vrbium
præsidia.

5. A PRINCIPIBUS Anonimis etiam Austriacis: quorum fauor, ac beneuolentia in Societatem eò excreuit, ut nisi magnitudinis pietatisque sue rationem habuissent, modum excessisse videri possit. Igitur in eam opinionem venerant inclyti & rei Catholicae, ac Societatis studiosissimi Principes, ut cum nobis benefacerent, crederent, se de Republica bene mereri. Collegia pro Vrbium præsidij habebant: neque tutiorem armis quam nostra vigi-
lantia